

Sammelband og

Index locorum in hoc volumine
explicatum.

- nr. 29 Pj. LXXXIV.
4. Math. II. 17. 18.
38 Luc. I. 78.
10 Act. XIII. 32. 33.
20 Eph. V. 29.
18 Col. I. 34.
11 Col. II. 14. 15.
23 Cor. XIII. 2.
36 1 Petr. III. 18.
38 2 Petr. I. 19.
6 Jud. 9.
38 Apoc. XXII. 16.

23
22

PROVINCE RECTOR
**AVLAE DEI
PROCERES**
LVCVLENTE COMMONSTRATI
SCRIPTIONE SOLENNI
FESTO MICHAELIS DIE
A. N. M D C C L I V.
IN
ACADEMIA IVLIA CAROLINA
P. P.

HELMSTADII
LITERIS SCHNORRIANIS

VALVE DEI
PROCERES
PACIFINTE COMONSTRATI
SCRITI IN SOCIETATE
USTO MICHAELIS DICE

ADM
IN
TIN
ACADMI A VALLIA CAROLINA

HIBISCATA
LITERIS SCHINORVIANIS

in der Stadt Göttingen
am 15. April 1743
die 1. Auflage
durch den Herausgeber
der Göttinger Musen,
H. C. Ossianus,
Herrn Dr. J. C. Gottlieb
Zumpt, zum ersten Mal
gedruckt worden ist, auf den
25. Tag zu Ostern 1743.

ACADEMIAE IULIAE CAROLINAE
PROVICECTOR
CVM SENATV
CIVIBVS ACADEMICIS

S. P. D.



uam equidem multiplia atque insignia, imo vero quam infinita atque admiranda prouidentiae atque administratio-
 nis divinae documenta illa existunt, quae cum in privata singulorum hominum vita et fortuna, tum et vel maxime in publicis civitatum ac gentium integrarum negotiis ac fatis passim animadvertuntur, tam eximiam quoque dignationem habere videtur ille dies, qui **MICHÆLIS** atque **angelorum** ceterorum recordationi

A. 2 festus

festus esse solet apud christianos: quodcumque tandem dedicationis illius principium fuerit aut consilium. a) Namque anniversaria ista, quae MICHAËLIS nomen prae se ferunt, sacra non tam divino MICHAËLIS atque angelorum cultui destinata, quam eum potius in finem constituta sunt, esse saltem debent, ut immensam Dei optimi maximi benignitatem ac providentiam, in daemonum atque angelorum operationibus mirificis conspicuam, data opera concelebremus, strenuoque virtutis ac probitatis angelicae studio efficiamus, ut, quasi totidem numinis administri, divinioris praesidii beneficiis haud prorsus indigni reperiamur. Quod ipsum equidem officium uti commune illorum, qui civitatis christiana membra existunt, omnium, sic iis praeferim decorum videtur, qui, dum litterarum sapientiaeque cultores se se profitentur, hoc sibi velut peculiare sumunt ac vendicant, quod virtutis ac prudentiae salutaris studio non antecellere tantum, sed decenter etiam iuvare ceteros, pro suis quique viribus atque muneribus, velint. Quid igitur in commentatione hac solenni propositum Nobis sit, vosmet ipsi, CIVES, coiicere haud difficulter potestis. Recordamur enimvero, id quod Vobis etiam sine dubio persuasum firmiter est, Nos, ut semper alias, sic et cum primis hac tempestate per-

sonas

a) Elegant, quibus volupie est, RUD. HOSPITALIUM in singulari-
tati descriptis christianorum opere fol. 103. it. fol. 147. cui quidem
inioris illustrationis causa adiungi merentur duo program-
mata festa, de festi Michaelis origine in hac ipsa academia
quondam (an. 1726. it. 1730.) p. p.

sonas ac vices angelorum sustinere; quorum proinde officium sit ad angelicas, hoc est personis ac studiis vestris dignas virtutes singulos atque omnes vos sive adhortari, sive, quod satius fore iudicavimus, penitiori, eademque nec infructuosa, nec prorsus iniuncta rerum divinarum contemplatione quadam invitare comiter atque instigare.

Opportunam contemplationi huic nostrae materiam cum CHRISTI Servatoris de piorum angelis effatum memorabile, b) tum *angeli principis*, sive *archangeli cognomentum*, MICHAËLI praeter ceteros proprium, tum et denique singularis quaedam de *aula dei*, nec non de *septem angelis maximis*, tanquam *aulae divinae proceribus*, HVGONIS GROTI, polyhistoris eximii, *observatio* c) nunc quidem subministrant. Iuvabit autem modo dictum GROTI locum ante omnia expendere ac dilucidare: siquidem eo rite facto dilucide simul apparebit, quid de ceteris illis, quorum facta mentio est, statuendum sit aut sentiendum.

Sic nimurum dicto loco GROTIUS:
(*Kai αὐτὸν τῶν ἑπτα πνευμάτων, αἱ ἐξι ἔρωτον τε θεούς αὐτές*) in manuscripto: *πνευμάτων τῶν ἑπτακόντων*. Septem spiritus et hic et in-

A 3 fra

b) οἱ ἀγγελοὶ ὡντεῖν δὲ ἀρχαὶ διὰ παντὸς Σατανᾶ τῷ προσωπῷ τε πατέρος μη

τὸν δὲ συντονοῦ. MATTHAEI cap. XVIII. v. 10.

c) in annotationibus in Apocalypsin (cap. I. v. 4.) quae continetur annotationum in novum testamentum parte tertia atque ultima Parisii 1650. fol. ed.

frav. 6. et VIII. 2. esse angelos multi putarunt, quia receptum est apud Hebraeos septem esse maximos angelos, qui deo adstant, nempe quomodo septem principes adstabant regi Persarum, quae aula quia erat magnificissima, ideo ad eius formam dei aulam formant Hebrei. Vide TOBIAM XII. 15. MATTH. XVIII. 10. et utrobique a nobis dicta, Adde HERMAM II. 9. CLEMENTEM Strom. VI. Sed recte omnia qui expendet, et conferret locum, qui infra est v. 6. ubi itidem spiritus dicuntur oculi dei, per quos oculos diximus in ZACHARIA IV. 10. significari multiformem dei providentiam, eo potius fereatur, ut hic existimet denotari septem illa velut membra divinae providentiae, quae nominantur infra V. 12. et VII. 12. Et sic erit ev. dico dñov. Optatur enim pax a deo et septem spiritibus, id est, a deo per septem hos modos operante. Firmat hanc interpretationem, quod infra capite V. distinguuntur spiritus et angeli.

Reete quidem GROTIUS, et, pro singulari, qua pollebat, mentis et doctrinae praestantia, nervose admodum statuit, septem spiritibus septem velut providentiae divinae membra, seu multiformem dei pro-

providentiam heic designari; sed penitus tamen consideratis omnibus, subobscura vel anceps esse sententia eiusdem videtur. *Instrumenta enim, sive peculiares ministri, an symbola tantum providentiae divinae spiritus existant;* similiter undenam praecisus, hoc est, *septenarius iste principum apud Persas, nec non angelorum apud Hebraeos maximorum numerus fuerit pronatus,* non satis aperte GROTIUS explicuit. Quo planius ergo quid statuere heic debeat constet, operae pretium facturi nobis videatur, si particulatim, et pro instituti praesentis conditione, paullo explicatius cum a) de veterum gentilium circa deos ac daemonas sententiis atque institutis; tum b) de vera et genuina gubernationis ac providentiae divinae, c) daemonum item, sive angelorum indeole; tum et denique d) de mutua utrorumque cognatione, vel, quod perinde videtur, de daemonum sive angelorum ad divinam mundi humanique generis, vicissimque de gubernationis divinae ad daemonas atque angelos habitu, secundum sincerioris vereque christiana sapientiae dogmata atque axiomata, disseruerimus.

Fingite vobis, *cives* cultissimi, homines non sentienti solum et iudicandi, sed ratiocinandi quoque facultate qualicunque a natura instructos; quales quidem gentiles fuisse nemo temere dubitaverit: hi profecto simulatque vastum hoc universitatis sive mundi *spectabilis amphitheatrum,* quaeque ubivis in eodem obvia sunt spectacula, admiranda non minus, quam varia et multiplicia; *tellurem* videlicet, montibus, saxis atque

que undis passim interstinctam; succis, lapidibus metallisque velut gravidam; gramine, plantis, floribus, sylvis ac frumentis quasi vestitam; serpentibus, vermiculis, piscibus, belluis atque volucribus tantum non ubique animata; dehinc nubes, pluvias, grandines, fulmina, tonitrua, mirabilesque alias aeris mutationes; tum continuas dierum atque noctium vicissitudines; ipsa denique sidera coeli splendida, solem in primis atque lunam, praeter semetipos, circumspicerunt, non potuere non singulares singulorum atque omnium istorum naturas, vires, ordines, effectiones atque usus maximopere admirari, paullatimque ab admiratione ad primae originis et causarum pervestigationem progrederi, tacite saltem, unde quaejo mirabilis hic rerum apparatus? quis item horum omnium primus opifex atque auctor? sciscitantes. Neque enim perperam iudicarunt illi, qui admirationem philosophiae matrem esse statuerunt. Nec prorsus etiam vana esse illorum coniectura videtur, qui ab astrologia, sive siderum coelestium contemplatione, studiorum atque sapientiae humanae omnis primordia repetunt. Abesse vero in iam iam dicta rerum naturalium causis explorandi sollertia vix potuit, quin mortaliū isti, quos excelsa quaedam mentem a sensibus digne abducendi facultas et divinior de prima rerum origine revelatio destituit, solem, mundi quippe astrum illud prae ceteris magnificentem, tanquam principem mundi humanique generis causam communemque velut parentem ac hospitatem, nec sine mirifica veneracione quadam susplexerint atque adoraverint. Neque enim

enim dubium videri ipsis poterat, sublato vel extirpato sole, nihil non eorum, quae ad telluris cultum atque ornatum, vitam animalium ac sustentationem, humani denique generis commoditates ac necessitates ullo modo pertinent, extinctum consestim fore atque interitum. *Heliolatriam* igitur, *sive solis atque ignis*, velut numinis cuiusdam, *venerationem* primum idolatriae genus extitisse, quod mortalium animos fascinaverit, quis amabo miretur? Quum autem *sidera coeli reliqua* facultatem et naturam solis haud dissimilem habere, suppareisque hominibus utilitates praestare crederentur, sane mirum non est, quod ipsa etiam cum universa, tum ea praesertim, quae proximam cum sole ac tellure nostra necessitudinem praeseferunt, *in divinitatis ac venerationis societatem* venerint. Ut nervose, quod res est, dicamus, *heliolatria sororem habuit astrolatriam*. Graviter admodum nec minus sententiose CICERO: d) de *hominiibus*, inquit, *nulla gens est, neque tam immanis, neque tam ferrea, quae non, etiamsi ignoret, qualis Deum habere deceat, tamen habendum sciat*. Vtique vero hoc quicquid est superstitionis Afiae praesertim atque Africæ nationibus, coeli quippe siderumque speculationi a natura deditis velutique innutritis familiare, quin et commune fortassis olim fuisse, haud improbabiliter sane colligi ex iis potest, quae, ut alia bene multa nunc praetermittamus, e)

B

cum

d) Lib. I. *de legibus*.e) Ea nimiruin, quae de *Phoenicum* atque *Indorum* pyrolatria memorari heic poterant, quaeque passim notata reperiuntur partim apud IO. SELDENVM in peculiari *de diis syris libro*,

cum de planetarum apud Chaldaeos, tum de Mithrae atque astrorum quorundam aliorum apud Persas, tum et de ISIDIS atque OSIRIDIS apud Aegyptios cultu pristino passim memorantur apud historicos. ISIDIS enim nomine lunam, binis reliquis vocibus solem designari, vestrūm, CIVES, nemo est, arbitramur, qui nesciat. f) (Aegyptii) quarvis die ter adolescenti soli resūnam sub ortum; myrram sub meridie; Kyphe, quod vocant, circa occasum: quorum quodque quam habeat rationem, infra exponam. Singulis quidem istis conciliare se et venerari solem opinantur. g) Verba sunt PLUTARCHI in peculiari eodemque veteris doctrinae mysti-

cum ANDR. BEVERI additamentis Lips. 1672. 8. recens; partim etiam, quoad Indos, apud PALLADIUM in libello de gentibus Indiae et Bragmanibus, Lond. 1665. 4. STRABONEM geogr. lib. XV. PLUTARCHVM in lib. de vita Alexandri, nec non apud ARRIANVM de expedit. Alexandri lib. VII. et in indicis.

f) Exquisita sane doctrinaeque profundioris plena sunt, quae partim a RADVLPHO CUDWORTHO, partim etiam a IO. LAVR. MOSHEMIO, viris summis utrisque, hanc in rem disputata leguntur eo volumine, quod *sistema intellectuale universi, seu de veris naturae rerum originibus*, inscribitur, (Jenae 1733. fol. ed.) tomo I cap. IV. §. XVIII. Quem ipsum quidem locum nostras in partes dum excitamus, hoc simul admonemus, haud omnino contraria nobis ea esse, quibus OSIRIS rex magnus fuisse, non deus, inibi assertur. Neque enim duplices illas, quas gentilium de dīs divinisque rebus fabulæ seu commenta recipiunt, significantes, physicam nimirum atque historicam sive politicam, protius contrarias invicem existere, proinde geminas plerunque simul adhiberi iisdem interpretationes oportere, iussis de causis arbitramur.

g) Ήσαν δέκατοι τεῖχοι επιθύμωσι τῷ γένε, πάτερνον περὶ ἑτο τοὺς πατέρας, σημερύντες μεσογαρούτι, το δὲ καλεομένον κυφί περὶ δυομάς· ὡς ἐκεῖνος

mysticae plenissimo, de Iside et Osiride libello. Quo ipso
equidem simul de Chaldaicis rotunde sic pronunciatum
legimus: Chaldae (VII.) planetas deos faciunt;
quorum duos beneficos, totidem maleficos, reliquos tres
medios affirmant et promiscuos. h) Idem et planius
quodammodo de Chaldaicis ex ipsis eorundem libris
R. MOSES MAIMONIDES memorat, dum libro III,
cap. XXX. eius operis, cui more nebochim titulum fe-
cit: *notum est*, inquit, *quod ABRAHAM natus est in*
gente, quae serviebat igni, et in credulitate illorum, qui
credebant, quod non sit deus alius, nisi stellae;
quod stellae sint dii; sed sol et luna sint maximi deo-
rām. Quando ABRAHAM contradixit opinioni
gentis illius, dicens, quod aliis sit operator praeter so-
lem, induxerunt contra eum rationes suas, inter quas
fecerunt mentionem de operationibus solis, quae mani-
festae sunt et apparent visui in universo esse. Persarum
denique idolatriam, hoc est, Mithrae sive solis atque
astrorum venerationem superstitionem quod attinet,
brevissime hanc in rem HESYCHIVS: MITHRAS,
inquit, *sol est apud Persas: MITHRAS praecipuus Per-*
sarum deus. i) Similiter EVBVLVS k) MITHRAM
parentem atque conditorem omnium rerum seu totius

B 2

mun-

έπικαι λόγον, έπειρον ἀφηγητομενοι. Τον δὲ ἡδιον πασι τοντοις προτερεῖσιν
και βεβουτεσιν διορτοι.

h) Χαλδαιοι των πλανητων της θεος γεννιθλαι, εἰς καλαυρι δυο μερις αρχαιστικης,
δυο δε κακοποιοι, μεταξεις δε των τρεσσαν προφαινεσι και κοννεις.

i) Μιθρας ε θεοι περα περιουσι Μιθρας ε περιουσι περιουσι θεοι,

k) apud PORPHYRIVM in libro de antro nympharum: πεντα
επονητης και πατητης Μιθρας.

mundi nuncupat. Paullo explicatus STRABO: 1) Persae coelum IOVEM putant; colunt solem, quem MITHRAM vocant, item lunam, et venerem, et ignem, et tellurem, et ventos (aërem) et aquam. m) De victima equidem, MITHRAE sive soli dicata, equuleo nempe candido, igne perpetuo (αὐτεῖσῳ) qui facer appellari militibusque praelium suscepturnis praeserri super altari solebat, pyreis item seu pyraetheis, hoc est ignis perpetui sacrariis; nec non de pyrethis, seu magis, ignem sacrum sustentantibus; quaeque huc spectant, aliis, plenius hoc loco differere iustae brevitatis studium prohibet. n) Interim animadversione dignum reputamus, Persas in quatuor deorum coelestium sive planetarum, SATVRNI scilicet, IOVIS, MARTIS et MERCVRII locum vulgo sic dicta quatuor elementa, ignem, putas, ventos, (aërem) aquam, et terram surrogasse: quod fortassis maiorem aut magis salutarem his, quam istis facultatem tribuerunt; sed septenarium tamen principum deorum numerum, exemplo videlicet Assyriorum, servasse.

Sic ergo diis, sic astris, sic coelo rerum naturalium atque humanarum non modo principatum, sed et domina-

1) Geograph. lib. XV. (Περσαὶ τὸν ὄντας οὐκέται Δια· τιμῶσι δε καὶ θύλατος, ἐν πελάσι Μίθραν καὶ σελήνην, καὶ Ἀφροδίτην, καὶ πυρ, καὶ γῆν, καὶ αἰγαίαν, καὶ ώδον.

m) Heic denuo conferri attenteque legi meretur CVDWOR-
THVs system. intellectual. cap. IV. §. XVI. eadem scilicet mo-
deratione adhibita, quam supra, pag. 10. nota f) commendavimus.

n) Otinum nobis heic fecere BARNAE. BRISSONIVS in libro de
regio Periarum principatu. Argent. 1710. 8. nec non IO. SEL-
DENVS in libro de diis syris, supra iam tum a nobis laudato.

minatum perquam sane liberaliter ac temere gentiles concedebant. De deo, de mente, de numine, providaque mundi gubernatione altum, nisi fallimur, apud eos silentium.

Posteaquam vero secum habitare, sive semetipsos ac mentes suas intueri penitus, naturaeque opera cum operibus atque institutis hominum contendere mortales suscepserunt, fere sic iudicem, sensus scilicet communis suasu, videntur arguisse: quum eorum, quae in rebus arque institutis hominum pulchra sunt et structuosa, nihil non a singulari prudentia sive confilio et sollertia, hoc est a mente profiscatur, naturae profecto spectacula atque opera, infinitas quippe varietates, ac vicissitudines, ordines item, functiones, atque usus plane mirabiles exhibentia, menti cuidam praestantissimae accepta ferantur necesse est. Pulchre fane CICERO o): *Vt si quis in domum aliquam, aut in gymnasium, aut in forum venerit: quum videat omnium rerum rationem, modum, disciplinam, non posset ea sine causa fieri iudicare, sed esse aliquem intelligat, qui praesit, et cui pareatur multo magis in tantis motibus, tantisque vicissitudinibus, tam multarum rerum, atque tantarum ordinibus, in quibus nihil unquam immensa et infinita vetustas mentita sit, statuat necesse est, ab aliqua mente tantos naturae motus gubernari.* Plane gemina his ea sunt, quae de prima dei notione vel notitia, cum apud PLUTARCHVM p), tum

o) de natura deorum lib. II. s. imp. XI ordin. maxime laborum (p)
p) de placitis philosophor. lib. I. cap. VI. dil. marth. erat. ch. (i)

et apud SEXTVM EMPIRICVM q) argutissime disceptantur; digna certe, quae sollerter et cum iudicio praeter CICERONIANA legantur.

Ecce vobis, CIVES, nativam theologiae gentilis conditionem atque originem, futamatim scilicet descriptam! Cuius equidem prima rudimenta gentium barbararum, quas supra nominavimus, ingenii citra controversiam debentur; caput autem supremum idemque palmarium, quo videlicet *astris corporumque terrestrium elementis mens quaedam opifex atque rectrix praeficitur*, ab iisdem principio fortassis ignoratum, deinceps autem simulacris fabulisque perplexis involutum et pro *mysterio* habitum. Graecis enimvero sapientibus, barbarorum quidem discipulis, sed pectore magis aperto natura instructis, illis praefertim, qui a patria *Jonici*, a peculiari studio *physici* nuncupantur, haec propria esse gloria videtur, quod *de mente, rerum universitatis praefide*, ratiocinationem istam, maxime profecto sublimem ac nobilem, primi inter gentiles vel informaverint, vel saltem aliquanto planius atque apertius, quam quidem ab orientalibus factum, MOSIS forsan ABRAHAEQUE auctoritatibus induiti, enunciaverint. Sie enim THALES MILESSIVS, Jonicae philosophorum sectae parens, septimo circiter ante C. N. seculo clarus, quique primus de rebus naturalibus seu divinis quaevisse dicitur, teste quidem CICERONE, r) *deum dixit esse eam mentem,* quae

q) contradictionum libro IX. qui est adversus *physicos*.

r) *de natura deorum lib. IV* quo L. dicitur.

quae ex aqua, velut communi rerum naturalium initio, cuncta fingeret. Idem ille THALES, prouti LAERTIUS memorat s), antiquissimum eorum omnium, quae sunt, deum esse, ingenitum quippe; pulcherrimum vero mundum, a deo videlicet conditum; animalium item, ac daemonibus plenum, t) statuit. Tum, quid deus sit? interrogatus, quod initio et fine caret, graviter ac nervose respondit. Aquae vocabulo formam fluidam eorum, ex quibus tanquam feminibus opera naturae nulla non proveniunt, heic designari, obiter notamus. De mente vero, mundi aspectabilis causa efficiatrice, de diis item vel daemonibus, quorum plena dicuntur esse, quae cernentur, omnia, THALETIS effata haec quod attiner, haud exiguum sane dignationem ipsa promerentur. Princípio enim philosophus sciente admodum contra polytheos atque idololatras iis docuit, supremum, quo natura seu *mundi* universitas continetur, *imperium* haud quaquam divisum esse inter astra, neve democraticum, sed plane monarchicum, hoc est, uni eidam menti vel numini proprium. Tum idem quoque prudenter significavit, eorum, quae in mundo sunt et existunt, nihil omnino temere, sed provido singula consilio, per *daemonas* sive *intelligentias*, velut totidem mentis supremae ministros, hoc est, per vires et secundum leges sapientissime ir-

for-

s) de vitis, dogmatibus et apophthegmatibus clarorum philosophorum lib. I. segm. 27. sqq. πρεσβύτατον των δότων, θεος ἀγεντος γαρ. κυλλίσιον, κορεος. ποιητικα γαρ θεος. -- Ο περιουσια μεμψιχος και δειπνων πληγη.

t) Vid. CICERO de legibus lib. II. II.

formatas, perfici ac temperari. *Daemonum* enim appellatione vires ac naturas, sive causas rerum effe-
trices, nuru et consilio dei provido conditas atque ordinatas designari apud veteres philosophos, quis a-
mabo rerum intelligens neget aut dubitet? Data ope-
ra atque explanatius quicquid huius est argumenti traditum extat ea commenatione, quae ante hos se-
ptem annos u) in lucem heic prodiit, *mysterium de*
daemonibus philosophicum strictissim et fideliter revelatum inscripta. Ad THALETIS autem de mundi animo
vel mente, hoc est, deo, nec non de daemonibus, sive men-
tis divinae famulis atque administris, sententias ut re-
vertamur, observatione dignum existimamus, esse
eadem a probatissimis quibuscunque philosophis, cum
familiaribus et coaevis THALETI, tum sequioribus
etiam, latinis pariter ac graecis, velut totidem *axio-
mata* non fideliter modo suscepta, sed latius quoque
paullatim diducta. Singulas equidem singulorum
sententias heic expromere decenterque invicem com-
mittere prolixum nimis foret atque a scriptioris prae-
sentis brevitate alienum. Expediet interim breviter
saltem ea perfrinxisse, quae praecipua videnter esse
hoc in argumento, quaeque silentio practeriri minus
commode possunt.

Principio scilicet monendum, haud omnino fal-
los quidem esse, qui, quam nos THALETTI adiudi-
cavimus, assertae mentis supremae atque a materia di-
sciplina laudem, ANAXAGORAE tribuendam existi-
mant:

u) anno MDCCXLVII.

manū; x) dummodo in laudis hūius societatem venire
praeceptorem cum discipulo finant.

Deinde notari meretur, sat prolixam, licet non
ubique satis luculentam eorum, quae a PYTHAGO-
RA, SOCRATE, PLATONE, ARISTOTELĒ, EPI-
CVRO, ceterisque philosophis summis deo rebusque di-
vinis tradita passim sunt, recensionem cum apud illos
auctores, qui in *mysterio de daemonibus revelato* y)
extant percensiti, tum etiam apud CICERONEM, z)
PLVTARCHVM, aa) PLOTINVM, bb) FRANC. PA-
TRICIVM, cc) LILIVM GREG. GYRALDVUM, dd)
IOH.

x) Πλάτων (ΑΝΑΧΑΓΟΡΑΣ) τη διη ΝΟΤΗ ἐπεισέπει, ἀρχαῖον δύτικα τη
συγγραμματος, ὃ ἔστι ήδη καὶ μεγαλόφερον ηὔποντεν. Πάντα χειρά-
τα in ᾧς, ἀτρα πάθειν εὐτα διενομήσει. Primus (ΑΝΑΧΑΓΟ-
ΡΑS) materiae, (quam vnde hic appellant) mentem adicet, in
principio operis sui suavi et magnifica oratione sic scribens: O-
mnia simul erant; deinde acceſſit mens, eaque componuit.
Verba sunt DIOGENIS LAËRTII in opere de vitis, dogma-
tibus atque apophthegmatibus clar. philosophorum lib. II. segm. 6.
Cui adiungit meretur BRUCKERVUS in *historia critica philosophiae* tom. I. p. II. lib. II. cap. I. una cum quibusdam aliis inibi
adductis.

y) Vid. *sipra pag. 16.*

z) in libris de natura deorum, primo praesertim.

aa) in libris de placitis philosophorum.

bb) operum a MARSILIO FICINO gr. et lat. cum commenta-
riis, Basili. 1615. fol. editorum, enneadis III. libro IV. quo se-
orsum de daemonibus et proprio cuiusque daemone differunt.

cc) in *nova de universis philosophia*, Venet. 1593. fol. *panarchias*
lib. XVIII. *de mentibus dei ministris*, it. *pancosmias* lib. II. *de*
mundo empyreo. it. in *ZOROASTRIS oraculis CCCXX. ex Pla-*
tonicis inibi collectis; et alibi passim.

dd) operum, Basileae 1580. fol. ed. tomo I. *syntagmate I.* quo pe-
culiaris de diis gentium *historia* continetur.

TOM. ROSINVM, ee) et RAD. CUDWORTHVM ff)
deprehendi; horum idcirco perlustrationem assiduam
cum lectione PLATONIS atque ARISTOTELIS ac-
curata coniungi oportere ab iis, qui digne versari in
existimandis atque interpretandis gentilium doctrinis
atque institutis sacris cupiunt.

Tum et imprimis scire iuvat, instituta gentilium
sacra sic comparata esse universa, ut in afferenda Men-
tis supremae, sive Nutrinis optimi maximi maiestate,
providaque misericordia, sive rerum naturalium atque hu-
manorum, temperatione vulgi praeiudicis atque phan-
tasiae potius, quam veritati rationique sincerae inser-
viretur; itaque populus ad pietatis infucatae, hoc
est, superstitionis atque idololatrias perquam specio-
sae studium strenuum extimularetur: quo nempe fa-
cilius idem contineri in officio posset. Manifeste id
ipsum ex deorum, dearum, daemonicisque partim ap-
pellationibus, partim quoque simulacris cernitur. Pro-
vidam scilicet ac rationaliorem rerum et causarum na-
turalium, divinitus quippe constitutarum atque infor-
matarum, conditionem picturi dicamus, an adumbratur?
os habitumque hominis praeseferentem imaginem
quandam rebus, mente ac forma propria desti-
tutis, affingebant, accommodabant, inducebant. gg)
Neque

ee) antiquit. rom. (Traj. ad Rhen. 1701. 4.) libro II. quo fortissim
de diis et eorum templis exponitur.

ff) in systemate intellectuali, supra iam tam (pag. 10.) laudato,
passim.

gg) Magus uer (ut ope PLUTARCHI rem exprimamus) τῷ θεῷ
τοι εἰκόνας ἀναγρέει εἰσιθεωρη τοῦ θεοῦ λαμπρού δὲ τοῦ Τυ-
που τῆς Μετωνυμίας φερεταιος προγενετικαι διδοτε. Cum magus aper-

Neque enim vividius repraesentari mentem sive rationem ac sapientiam posse, quam imagine hominis, iudicabant. Similiter quae proprie et secundum rei veritatem divina *Numinis* optimi maximi *opera, instrumenta, beneficia* nuncupari debebant, haec nimis inverecunda, quid quod flagitiosa nominis maxime venerabilis abusione, *numina, deos, deas, daemonas* que salutabant ac venerabantur; perinde scilicet, at improbus tamen in re sanctissima, facientes, ac illi, qui, dum PLATONIS verbi causa libros cernunt, prehendunt, inspiciunt, cernere,prehendere atque inspicere se PLATONEM dicunt. hh) Graviter admodum, nec sine aculeis, impudentiam et stoliditatem, hanc Aegyptiis exprobavit satyricus: ii)

Quis nescit, VOLVS I, Bithynice, qualia demens
Aegyptus portenta colat? Crocodilon adorat,

Oppida tota canem venerantur nemo Dianam,
Porrum et cepe nefas violare ac frangere morsu,
O sanctas gentes! quibus haec nascentur in hortis
Numina.

Vt ne quis autem porro miretur vel ignoret, quae
C 2 de-

rientes vakes impiae turbae, quaeres deorum in bunanas convitit, tum splendidam licentiam conciliantes imposturis EVE-
MERI Mefenii (athei). Vid. lib. de Iside atque Ophride. Ipsas interim deorum larvas vel imagines hasce intueri ac circumspicere cupientibus CHARTARIVS, MONTFAVCONVS alii-
que servire poterunt.

hh) Vid. PLVTARCHVS l. c.

ii) LVVENALIS satyra XV. Cui tamen PLVTARCHVS iungi potest, l. c. mitius de his talibus iudicans.

demum ratio vel causa tam mirabiles deorum, dearum, ac daemonum turmas atque classes vel ordines in scenam aut mundum adduxerit; animadversione dignum videtur, fere sic gentilium sacerdotes, teste saltem, arguisse: quum semel consultum vixum sit atque constitutum, ut singulares quaeque rerum naturae seu vires, divinitus quippe ac sapienter constituta, daemonum vel deorum dearumque titulis maestentur; sane quotuplices rerum naturalium atque humanarum species et classes existunt, totidem etiam deorum, dearum, daemonumque species atque ordines designari debent, populoque ad venerandum proponi. Multiplices igitur ac variae deorum dearumque species atque classes existunt. Daemonum plena omnia. kk) Pro dignitate singulos deorum ordines, selectos puta, certos, consentes, coelestes, terrestres, marinos, sylvestres, inferos, humanos sive Genios, ceteros, natos, igno-

kk) Censeri ex his ea possunt, quae dicta reperiuntur a IO. IAR-
KIO ea praefatione, quam EL. SCHÉDIT de diis germanis li-
bro, iunctim cum I. A. FABRICII praefatione, nec non IO. G. E.
KEYSLERI diss. de cultu solis, Freii et Othini, Halae 1728. 8.
edito praefixit. Quum ex Romanis nonnulli 30000. deos communi-
ti sint, quod sufficere poterat ad delirium illorum et impietatem;
reperius est philosophus Romae a Gallis post urbem expugnatam
et capitolium obsecrum relictus, qui iam iam debitum naturae
persoluturus senatus, qui ad illum visendum venerat, laetari se
dixit, quod quo tempore Romanum venisset, ingens et non feru-
dum decus vidisset, urbem nempe admodum a diis esse inopem;
iam autem ad numerum civium auctum esse illorum numerum.
Sicut enim ducenta et octoginta civium essent millia, ita tot a
se, singulari nempe singulis, deos urbi relinquunt; fore addens, ut
suo quirque Lare conuentu publica urbis Numina non fatiget.

ignotos, dinumerare, percensere atque ab obscuritate sua in lucem vindicare, commentationis huius brevitatis neutquam permitit. Sufficiat itaque summatum heic observasse, in diis ac daemonibus quoddam velut Numinis supremi ministerium cerni, eosdemque univerlos ac singulos sapientiae, potentiae, benignitatis, summa providentiae divinae instrumenta existere; sed principes tamen illorum, sive maxime celsos ac splendidos, quique dii coelestes, visibiles, immortales, diique deorum (parentes videlicet) salutantur, si praesertim PLATONEM audiverimus, in planetis sive VII. sideribus erraticis esse conspicuos.

Ecce vobis, CIVES, ex mente quidem gentium, aulae dei proceres, summos item palatii divini, in coelis conspicui, principes, divinaeque providentiae ministros maxime spectabiles, VII. PLANETAS, hoc est, septem ista coeli sidera erratica, quae, prout haec tenus est ostensum, apud Graecos et Romanos perinde, atque apud Persas et Chaldaeos, non communem modo divinitatis, sed peculiarem quoque principum deorum cultusque divini seu religiosi gloriam sunt adepta

*Quaenam igitur ratio subsit, quare *septem* admodum *principes maximi*, tanquam regiminis ministri supremi, aulae regiae proceres, ipsius denique regis consiliarii intimi, et satellites individui, apud PERSAS olim fuerint constituti, (ut *septenas regiae ministras* et pedissequas intactas relinquamus) illi vosmet ipsis, CIVES, ex iis, quae haec tenus sunt*

AVTON (10X 100) scoli C 3 ex-

exposita, haud obscure intelligentis. Summam scilicet magnificentiam atque gloriam Persarum reges olim affectabant, qui videlicet *reges magnos*, quin *imo reges regum* se se vocabant, *divinisque honoribus coli* a suis volebant. mm) Vix autem maiorem ipsi neque aulae suae gloriam, nec sibi met ipsi maiestatem conciliari posse credebant, quam si ad palatii et ministerii coelestis similitudinem palatum ac ministerium ipsorum regum componeretur.

Haud prorsus dissimile, sed idem tamen iustum magis, magisque sincerum esse sanctumque illud institutum videtur, quo *lychnuchus* quidam aureus, *septem lucernis ac lumine vel igne perpetuo instructus*, in aede IUDAeorVM sacra coram sancto sanctorum, nutu et consilio divino, positus fuisse memoratur. nn) quem ipsum equidem ubi luculentum non minus et venerabile, quam simplex et compendiosum aulae coelestis, quaeque nullibi non in eadem cernitur, providentiae atque administrationis divinae schema sive symbolum dixerimus, sane nihil a veritate alienum statuerimus. Quandoquidem autem non mundo solum materiato, sed et vel maxime hominum generi ac civitatibus providentiae divinae ministri quidam, velut custodes atque angeli, seu tutelares, dati esse recte censebantur apud Hebraeos; non incon-

ll) Vid. supra pag. II. 12.

min) Vid. ESTHERIS histori cap. I.

nn) BRITTONIVS in libro de regio Persarum principatu cap. 29 I. qui quidem cum nichil fuisse illos. (cap. XCI.) notavit.

modum certe videbatur, his, quum de certo ac definito iporum numero nihil constet, numerum istis similem, hoc est qualemcunque, sed maiorem tamen, quam istis, dignitatem ac virtutem attribuere.

Atque ex his tandem cum GROTI^{II} notatio, tum et imprimis CHRISTI Servatoris sententia superius (pag. 5.) exhibatae rectius intelligi sine dubio poterunt atque explicari. Invabit autem simul, pro uberiori verborum CHRISTI intelligentia, strictim heic ea describere, quae pulchre hanc in rem notata reperiuntur apud GROTI^{VIII}. oo) Hoc eo pertinet, scribit is, ut non quivis, sed insigniores vel primores angelū intelligentur piorum custodiae assignati. A regum enim more sumta est similitudo, quos aspicere quotidie non cuivis ministrorum licet, sed solis regni proceribus. Quemadmodum autem regis faciem quotidie videre, et continuo coram rege stare, unum idemque significat; sic utrumque peculiare sibi habent illi, qui apud reges et principes intime sunt admissionis, regni videlicet atque aulae regiae proceres.

Si quis vero tandem, ecqui aulae dei proceres veri ac genuini, hoc est, non gentilium ritu spe*E*tati, sed mentis christiana oculis considerati, existant? quae siverit; fere sic statuendum esse secundum purioris sapientiae principia existimamus. Duplicis generis entia vel opera ista divina, quibus rerum universitas absolvitur, duplice velut dei aulam atque civitatem constituunt; duplicita item providentiae divinae instrumenta requirunt.

oo) Numer. VIII. 2. it. ZACHAR. IV. 2.

runt. Aulae visibili *vires motrices*, aulae invisibili, huic-
demque spirituali *mentes* quasdam excellentiores, hoc
est *sapiencia ac virtute singulari instructas*, atque ange-
lorum sive *ministrorum nunciorumque divinorum* no-
mine venerabili in S. S. designatas, mundi conditor ac
governator sapientissimus, DEVS O. M. praefecit.
Angelos, quaesumus, mente pia sagacique contem-
plentur, imitentur, aemulentur, quicunque salutariter
ac digne versari circa *aulae dei proceres* voluerint.
Per vestros igitur, cives, genios atque ve angelos,
imo vero per immensam Numinis providissimi benigni-
tatem, veltram denique salutem, singulos atque omnes
Vos rogamus atque obtestamur, ut sapientiae, huma-
nitatis, vigilantiae, pietatis, modestiaeque prorsus sin-
cerae studio strenuo atque indefesso ad nobilem sancti-
tatis angelicae gloriam contendatis: futuri olim,
quod felix atque faustum sit!

Aulac dei proceres.

P. P. in Academia Iulia Carolina
d. XXIX, Sept. MDCCLIV.

153883
X 2286633 ✓

ULB Halle
007 138 997

3



ND 18

R



Farbkarte #13



B.I.G.

23
22

PROVINCERECTOR
**AVLAE DEI
PROCERES**
LVCVLENTE COMMONSTRATI
SCRIPTIONE SOLENNI
FESTO MICHAELIS DIE
A. N. M D C C L I V.
IN
ACADEMIA IVLIA CAROLINA
P. P.

HELMSTADII
LITERIS SCHNORRIANIS